

Apocalypsi contra haereticos utebatur aiente Eusebio IV, 24: « Alius etiam extat eius liber quem contra Hermogenis haeresim inscripsit, in quo testimonis utitur ex Iohannis Revelatione desumptis. » - *Clemens Alexandrinus* Apocalypsim ut Iohannis genuinum librum et ut talem ab omnibus receptam passim laudat (V. Paedagogi I. II, cap. 12, Stromat. VI, 13 et saepe alias). - *Apollonius Ephesinus* presbyter eodem tempore contra Montanum disputans « usus est etiam testimonis ex Iohannis Revelatione » inquit Eusebius (V, 18). - *Origenes* qui dubia circa epistolas 2<sup>m</sup> et 3<sup>m</sup> Iohannis aliosque deutero-canonicos libros diligenter notat in locis alias citatis, de Apocalypsi tamen nihil huiusmodi refert, sed eam uti Iohannis Apostoli opus ab omnibus orthodoxis receptam tradit. Sane non solum in hom. VII in Iosue scribebat « addit adhuc et Iohannes tuba canere per epistolas suas et Apocalypsim » sed etiam in loco sup. cit. ex tom. V in Iohannem (apud Euseb. VI, 25), ubi scopus eius postulabat restringere numerum librorum ut alibi innuimus: « Iamvero, inquit, quid dicendum est de eo qui in sinu Christi recubuit, Iohanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium... scripsit praeterea Revelationem (Ἀποκάλυψιν), iussus silere, nec septem tonitruum voces perscribere » (Apoc. X, 4). Cfr. etiam tom. I in Iohan. et alibi. - Denique *Andreas Caesar*. in prologo in Apocalypsim de antiquiorum Patrum praesertim Graecorum traditione generatim testatur hisce verbis: « De Apocalypsis Theopneustia, testantibus eam fide dignam esse viris beatis Gregorio Theologo, Cyrillo et aliis prioribus Papia, Irenaeo, Methodio et Hippolyto, multa verba facere necesse non est. » Quae verba licet ad Apocalypsim divinitatem directe referantur, indirecte tamen Iohannem eius auctorem respiciunt; quotquot enim inter antiquos (excepto Dionysio) Apocalypsim susceperunt inter sacras Scripturas, eam Iohanni tribuebant, qui autem de eius auctoritate dubitabant, ideo dubitabant quod eam a Iohanne Apostolo scriptam non crederent. - Concludamus igitur, ab aetate Iohannis et ab eius immediatis discipulis usque ad medium saeculum III in Ecclesia Graeca et Orientali nullum inter orthodoxos apparere vestigium dubitationis circa Apocalypsim Iohannis Apostoli. - Primus igitur qui eam in dubium revocavit, est *Dionysius Alex.* qui auctoritate sua plures in eandem dubitationem pertraxit. - Verum haec agendi ratio S. Doctoris 1<sup>o</sup> ex circumstantiis externis explicari potest, 2<sup>o</sup> nedum Ecclesiam Occidentalem

non permovit, sed neque Orientalem et Graecam, quae etiam post Dionysium in eadem mansit persuasione, paucis exceptis, donec omne dubitationis vestigium post saeculum VI evanuit. - Ad 1<sup>m</sup> quod attinet occasio erroris Dionysio fuit opinio Chilistarum quae in Aegypto coeperat propagari. Scilicet postremis annis Origenis (circa an. 250) quidam Nepos praefecturae Arsinoiticae episcopus nonnulla loca Apocalypseos cap. XX verbaliter explicans, errorem de regno millenario defendere coepit, immo etiam generatim affirmabat Scripturas in sensu proprio explicandas esse, et librum *adversus allegoristas* edidit. Non pauci in Aegypto Neptosis errori adhaeserunt, et mortuo Origene eo res processerunt, ut apertum schisma in illa Ecclesia timeretur. Itaque Dionysius Origenis in regenda schola Alexandrina successor, et paulo post episcopus Alexandrinus creatus, statim sopiendo schismati et extirpando errori Neptianorum operam dedit, adversariorum primoribus ad disputandum invitatis, quibus revincendis etiam libros *de Promissionibus* ab Eusebio laudatos conscripsit, in quorum altero de Apocalypsi fusius disserit. Cum autem videret praecipuum adversariorum fundamentum in testimonis ipsius Apocalypsis collocari, et ex alia parte difficile esset veram eorum locorum explicationem demonstrare ob libri obscuritatem, conatus est ipsius libri auctoritatem infirmare, commemorans imprimis quosdam (quinam fuerint non dicit) qui ante suam aetatem reiecerant Apocalypsim, et licet non auderet eorum sententiam amplecti ne ab aliorum episcoporum (fratrum) sensu recederet, coepit tamen dubia spargere de origine apostolica illius libri, ut in loco sup. cit. vidimus. Quamvis autem haec dubia non magni ponderis essent, ut ex eorum solutione appareret, Dionysii tamen auctoritas effecit ut alii quidam Doctores eiusdem et sequentis aetatis in eodem dubio haerent, ac nollent Apocalypsim inter canonicos libros referre. - Verum 2<sup>o</sup> longe maior pars Doctorum in ipsa provincia Alexandrina, ac in caeteris Graecis et Orientalibus Ecclesiis ab avita traditione non recessit. Sane S. *Athanasius* Or. 2<sup>o</sup> contra Arianos n. 23, et Or. 4<sup>o</sup> n. 28 et alibi ad Apocalypsim Iohannis appellat, et in Epist. fest. absque ulla controversiae mentione eam inter libros canonicos enumerat. - *Didymus Alex.* De Trinit. I. I, c. 15 (Patr. Gr. tom. XXXIX, col. 297-8) post citata verba Evangelii Iohannis I, 1 citat Apocalypsim eiusdem hac ratione: « Similiter autem, inquit, *Iohannes Theologus* quoque in

*Evangelio* quidem ait: in principio erat verbum, etc... et tenebrae eam non comprehenderunt, in *Apocalypsi* vero ait: qui est, qui erat, et qui venturus est » (Apoc. I, 8; IV, 8); item in Enarrat. in 1<sup>am</sup> Iohan. et in Catena in psalmos a Corderio edita (in ps. 30) *Apocalypsim* Iohanni Apostolo tribuit. Eadem postea fuit sententia *Cyrilli Alexandrini* saec. V (De adorat. in spir. et al.) et *Macarii Aegyptii* (hom. 27 et 30).— In Ecclesia Palaestinaensi *Pamphilus* Caesareae episcopus (saec. IV) in Apol. pro Origene, et *Methodius* Tyri antistes (in Conv. decem virgin. I, 5, V, 8, VIII, 4, et de Resurrect. 9) *Apocalypsim* Iohanni Apostolo adscribunt. *Eusebius* Caesar. non contradicit, ut postea videbimus.

In insula Cypro *Epiphanius* (saec. IV) haer. LI, n. 32 et LXXVI, n. 5 et alibi *Apocalypsis* authentiam discrete affirmat. Haeresis enim LI (al. XXXI) inscribitur: « Haeresis, quae Iohannis *Evangelium*, et *Apocalypsim* reiecit » quam Ἀλόγων, idest, amentium vocat, et in cit. n. 32, collatis iis quae leguntur de *angelorum* *tubis* Apoc. VIII cum iis quae de iisdem habet Paulus 1 Cor. XV, 52, 1 Thessal. IV, 15, concludit hisce verbis: « Postquam igitur cum Apostolo Paulo *Apostolus* aequae *Iohannes* in *Apocalypsi* adeo mirifice consentit, quid est quod ab illis possit opponi? » Similia habet in altera haeresi 76, n. 5 ubi seriem sacrorum librorum summam recenset, et *Apocalypsim* Iohannis postremo commemorat: denique in pluribus aliis locis *Apocalypsim* ut sacram Scripturam sub Iohannis Apostoli nomine allegat, quin umquam significet de ea aliquando dubitatum fuisse. — S. *Basilivus Cappadox* idem sentit (adv. Eunom. I. I, n. 14 et alibi) nec ab eius sententia alienus est sanctus eius frater *Gregorius Nyssenus* citans sub Iohannis Evangelistae nomine verba Apoc. III, 15 (1). In Ecclesia Syriaca S. Ephrem (saec. IV) *Apocalypsim* recipit et Iohanni adscribit in Serm. exeget. in ps. 140: « Vidit in *Apocalypsi* sua Iohannes librum magnum etc. » (Opp. tom. II Syr. lat. p. 332), item in tom. III, p. 636 et alibi.

Permansit ergo Orientalis Ecclesia in maiorum suorum sententia

(1) - Audivi *Evangelistam Iohannem* aenigmatice huiusmodi homines in apocryphis allegantem, utinam, inquit, frigidus esses vel calidus; « ubi vox illa *apocryphis* vel per errorem librorum posita est pro *Apocalypsi*, (quod probabilius videtur, cum S. Doctor illud testimonium absolute citet ut Iohannis Evangelistae), vel certe Apocryphum in sensu bono accepti pro libro non ubique in canonem recepto, sed tamen genuino.

etiam post Dionysii dubitationem, et Eusebii haesitationem; donec 3<sup>o</sup> post saec. V nulla amplius vestigia veteris dissensionis apparent in Oriente. Sane canones librorum sacrorum post saec. V confecti *Apocalypsim* Iohannis Apostoli recensent. Patres etiam passim illam citant sub Iohannis nomine: etsi qui mentionem faciunt de Orientalium dubitatione, id repetunt ex antiquiorum, praesertim Eusebii, et Hieronymi verbis, non autem ex eo quod serius eadem dubia perseverarint: hinc etiam sectae Orientales ab Ecclesia Romana diu separatae *Apocalypsim* venerantur et suscipiunt; scilicet non solum Ecclesia Graeca schismatica proprie dicta, sed etiam sectae haereticae Nestorianae, et Monophysiticae apud Syros, quae inde a saec. V ab Ecclesia Latina recesserant.

Quae cum ita sint, patet iam responsio ad rationes dubitandi superius propositas; de quibus tamen pauca hic subicere praestat. 1<sup>o</sup> Ad titulum codicum Graecorum quod attinet, animadvertimus in primis non omnes codices hunc titulum habere. Deinde appellatio *Iohannis Theologi* non solum non excludit Iohannem Apostolum, sed illum aperte et indubitanter designat. Iohannes enim Apostolus apud veteres praesertim Graecos solebat eo nomine appellari ut ex testimoniis Didymi Alex., Cyrilli Alex., Cyrilli Hieros., Chrysostomi, Ephremi aliorumque certissime constat (1). — Nec sane alteri Apostolorum melius conveniebat huiusmodi titulus quam Iohanni. Si enim *theologus* dicitur qui de divina natura disserit, quis aptius quam Iohannes hoc nomine decorabitur, qui aquilae similis humana ac creata omnia transvolans, in ipso Evangelii limine intuitum in divina luce defigit, aeternumque Verbum in sinu Patris contemplantur? quapropter adversariorum argumentum in ipsos retorquetur. 2<sup>o</sup> Ad alteram obiectionem ex *silentio Patrum Apostolicorum* responsio facilis est. Imprimis enim silentium argumentum est mere negativum, ea vero quae animadvertent adversarii non demonstrant Patres illos omnino *debuisse* *Apocalypsim* laudare. Deinde nonnulla Patrum Apostolicorum scripta prodierunt antequam *Apocalypsis* vel scripta fuisset, vel sufficienter universae Ecclesiae innotuisset, ex iis vero, quae postea vulgata sunt, nonnisi pauca ad nos pervenerunt, ut ex. gr. accidit de scriptis Papiae. Denique quod nemo ex Patribus apostolicis in scriptis suis lauda-

(1) Nonnulla ex hisce testimoniis superius allata sunt, ut S. Ephrem p. 176, Didymi p. 196.

verit. Apocalypsim falsum esse ostenditur ex testimonio Irenaei (adv. haer. IV, 30) superius citato, ubi ad coevos et immediatos testes appellat Iohannis Apostoli familiares (intellige praecipue Ignatium, et Polycarpum), itemque ex testimonio pariter citato Andreae Caesar. qui de *prioribus Patribus*, et nominatim de *Papia* testatur. 3<sup>o</sup> Haereticorum quorundam sententiam non moramur; superbi enim homines rebellionis vexillo adversus Ecclesiam semel sublato in absurda quaeque praecipites ruunt. Quinam autem fuerint illi, quorum opinionem Dionysius in obiecto loco commemorat certo non constat: longe tamen probabilius arbitramur eos alios non esse quam supradictos haereticos, Alogos praesertim, qui paulo ante Dionysium Apocalypsim impugnaverant. Atque ideo eorum sententiam reprobare cogitur Dionysius ex ea saltem parte qua Cerinthum illius libri auctorem affirmabant; quod aliunde scimus fecisse Alogos; nam ea quae narrat Epiphanius in haer. LI, n. 3, et 32 seqq. de Alogis eadem prorsus sunt ac ea quae de his *nonnullis* refert Dionysius in citato loco. Ad haec accedit quod si Orthodoxi quidam ante Dionysium dubitassent de Apocalypsis auctore, id certe Origenes ignorare non potuisset, ac proinde de eorum dubitatione aliquando mentionem iniecisset saltem in iis locis ubi totus est in referendis dubiis quae de nonnullis libris quomodocumque mota fuerant. Illos ergo haereticos vel alios eis similes designat Dionysius, non vero Catholicos.

Ipsius vero Dionysii auctoritas, caeteroquin gravissima, in re de qua agimus derelinquenda est: non enim hic testis est traditionis Ecclesiae, sed privatam suam opinionem, et hanc *novam*, et argumentis tantummodo *internis* innixam, ex difficultate *adiunctorum* expressam, *haesitanter* et concitantis more proponit. Quare tanti faciendi est quanti valent rationes ab eo adductae, quas nihil valere inferius demonstrabimus. 4<sup>o</sup> Quosdam exitisse etiam saeculo IV qui de Apocalypsi dubitarent Eusebio et Hieronymo id narrantibus ultro credimus, quamvis neuter dicat quinam illi fuerint, aut cuius auctoritatis. Id tamen factum esse dicimus ex laudati Dionysii auctoritate, quae maxima semper fuit praesertim apud Graecos, quaeque nonnullos sequenti aetate rem intimius non expendentes veluti suspensos ac accipites relinquebat. Occidentalis tamen Ecclesia hunc influxum numquam experta est; et etiam inter Graecos, et Orientales praecipui Ecclesiae Doctores post Dionysium eius exemplo

minime se dimoveri passi sunt ab antiqua Patrum sententia, ut superius vidimus: ipse Hieronymus dum Graecorum dubia refert iisdem contradicit, et pro antiquiorum sententia iudicium pronunciat. Nam post citata verba epistolae ad Dardanum concludit: « Et tamen nos *utraque suscipimus* (epistolam ad Hebraeos, et Apocalypsim) nequaquam *huius temporis* consuetudinem, sed *veterum scriptorum* auctoritatem sequentes. » 5<sup>o</sup> Eodem modo explicanda est omissio Apocalypseos in quibusdam catalogis librorum divinatorum. In his enim nolebant referre nisi eos libros qui aut nunquam in controversiam vocati fuerant, aut de quibus saltem controversia finita erat: de Apocalypsi vero adhuc dubia manebant saec. IV et V apud quosdam. Hinc est quod Latinorum canones omnes (non excepto Muratoriano) Apocalypsim recensent, quia nulla apud eos extabat dubitatio (1): Graecorum vero, qui hac aetate confecti sunt, alii omitunt, alii vero iique plures (ut canones Athanasii, Synopseos Athanasiana, Epiphani, Amphilochoi etc.) admittunt, pro diverso scilicet iudicio quod eorum auctores de Dionysii et aliorum dubitationibus tolerant; canones vero post saeculum V vulgati cum Latinis conveniunt in Apocalypsi referenda. — Quod attinet speciatim Eusebii canonem notanda est singularis et parum cohaerens huius scriptoris loquendi ratio circa Apocalypsim: primum enim inter omologumenas Scripturas collocat Apocalypsim; nam I. III, c. 25 post quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, Pauli epistolas, 1<sup>am</sup> Petri et 1<sup>am</sup> Iohannis, subdit: » Postremo adiungas, si ita videbitur, *Iohannis Revelationem* (Ἀποκάλυψιν): de qua quid veteres senserint suo loco exponemus. Et haec quidem communi omnium consensu recepta sunt (ἐν ἁπολογουμένοις). » Postea vero numerat libros dubios (ἀντιλεγόμενα); denique libros spurios (ψευδῆ), et nonnullis ex iis recensitis, addit: « His adiunge, si lubet, Iohannis Revelationem, quam nonnulli, ut superius dixi, ex albo Scripturarum expungunt, alii inter libros omnium consensu receptos adnumerant. » Non igitur inter dubias Scripturas Apocalypsim collocat, quemadmodum facit de aliis deutero-canonicis, sed anceps quodammodo haeret

(1) Philastrius in saepius citata haer. 88 canonem Scripturarum statuens omittit quidem Apocalypsim, sed ea tantum de causa quod sciret de ea apud Orientales dubitari; caeteram in haer. 32 inter haereticos collocat qui Apocalypsim reliciebant: « Sunt haeretici (inquit) qui Evangelium Iohannis, et apocalypsim ipsius non accipiunt, et non intelligunt virtutem scripturae »

utrum eam inter libros communi consensu receptos, an omnino inter spurios connumeret. Quae singularis agendi ratio ex eo tantum explicatur quod Eusebius ex una parte videbat plenum esse consensum Occidentalium in recipienda Apocalypsi Iohannis, apud Orientales etiam usque ad Origenem et Dionysium nullum dubitationis vestigium occurrere, ac proinde inter libros *omologumenos* eam esse recipiendam: verum ex alia parte legerat apud Dionysium nonnullos Apocalypsim reiecisce, et Cerintho tribuisse, eosque putans esse catholicos, haesit incertus an forte Apocalypsis inter *nothos* seu spurios libros esset amandanda: ceterum quaestionem minime definire voluit, semper enim cum haesitatione loquitur; *si ita videbitur; si lubet*, quod numquam de ceteris libris deuterocanonicis facit. Quod autem huius haesitationis causa nulla alia Eusebio fuerit praeter illud Dionysii testimonium ex eo etiam apparet quod in cit. I. III, c. 25 promittit se suo loco expositurum quid de Apocalypsi veteres senserint: nullus autem alius locus occurrit in eius historia, ubi de hac re ex proposito pertractet praeter illum ipsum locum I. VII, c. 24, 25 in quo Dionysii opinio, et testimonium unice refertur. Ceterum quod ipse Eusebius Apocalypsim receperit iuxta antiquam traditionem satis apparet ex aliis locis, ubi non historice quid alii senserint, sed quid ipse teneat edicit ex. gr. Histor. I. III, c. 48, itemque in Chronico ad an. 14 Domitiani (1) et alibi. Illa tamen Eusebii agendi et loquendi ratio procul dubio et alios nonnullos permovit ut de Apocalypsi dubitare pergerent, vel illam prudenter omitterent, praesertim cum aliunde nimis obscura videretur, nec populo commode explicari posset (2), et Chiliastae non cessarent ea abuti ad errorem suum confirmandum. — Ut nunc de Syriaca versione aliquid dicamus, etiamsi concederemus in ea de fuisse aliquando Apocalypsim, non inde tamen sequeretur hunc librum Syriacae Ecclesiae ignotum fuisse, quemadmodum de aliis diximus. Verum pro Apocalypsi et aliud respondere possumus,

(1) In hoc altero loco scribit Eusebius: « Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, ut sub eo Apostolus Iohannes in Patmos insulam relegatus, Apocalypsim vidit, quam Irenaeus interpretatur. » Quae fere exscribit Hier. De Vir. III, c. 9.

(2) Haec ratio potissimum suavit Cyrillo Hierosol. ut Apocalypsim in catech. IV omitteret; ibi enim catechumenis suis commendat libros sacros, quorum lectioni eos incumbere vult: porro lectio Apocalypsoos minus opportuna eis videbatur.

scilicet versionem Syriacam simplicem fortasse confectam fuisse atque Apocalypsim vel scriberetur, vel Ecclesiis extra Asiam minorem constitutis sufficienter innotesceret; constat enim admodum sero hunc librum a Iohanne scriptum esse, nempe uti vulgo creditur circa finem imperii Domitiani seu circa an. 96 aerae vulgaris; hoc enim Irenaeus (V. 30), Eusebius l. c., Hieronymus (De vir. ill. c. 9) ac plerique veterum affirmant; atque etiam interni operis characteres insinuant uti ex. gr. quod ibi in sola Asia minore tot Ecclesiae bene constitutae supponantur (c. I–III); quod nonnullae ex hisce Ecclesiis iam a pristino fervore defecisse dicantur (II, 4), quod haeresis iam distincta speciali nomine occurrat (II, 6, 15) quod in nullo alio N. T. libro legitur, et alia huiusmodi. — 6<sup>o</sup> Denique de Gaio Romano presbytero duae sunt eruditorum sententiae: alii enim concedunt eum Apocalypsim reiecisce, et in hoc errasse, quemadmodum erravit circa epistolam ad Hebraeos, et quidem ob similem causam; sicut enim hanc negavit ut Montanistis ea abutentibus fundamentum erroris eriperet, ita et Apocalypsim reprobat, quod ea abuterentur Chiliastae, quorum errorem idem Proclus, adversus quem disputabat, amplexus fuerat. Alii vero probabilius negant Gaium Apocalypsim repudiasse, quam quidem sententiam omnino veram arbitramur. Sane imprimis Eusebius et Hieronymus quum de viro illo loquantur, quamvis notent eum epistolam ad Hebraeos reiecisce, vel omisisse, nihil tale de Apocalypsi affirmant. Eius vero testimonium (Eusebii III, 28) in quo unice innituntur adversarii, hoc minime probat. Gaii verba haec sunt: « Sed et Cerinthus per revelationes quasdam tamquam a magno aliquo Apostolo conscriptas (δι ἀποκάλυψεων ὡς ἐπὶ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων) portenta quaedam quasi ab Angelis sibi ostensa commentus nobis introducit, affirmans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati corporis obnoxios fore. Aditique hostis ille divinarum Scripturarum mille annorum spatium in nuptialibus festis transactum iri, quo facilis imperitis homines decipiat. » Ex hisce verbis colligi posse videtur Gaium non de nostra Apocalypsi, sed de Cerinthi scriptis loquutum esse. Nam imprimis *Apocalypsen* non *Apocalypsim* nominat; deinde absurda illa de nuptiis, conviviis ac carnalibus deliciis quibus iusti Hierosolymis fruen-

tur post resurrectionem, ne specie quidem tenus in nostra Apocalypsi occurrunt, ubi hoc tantum legitur *iustos cum Christo regnuros mille annis* (Apoc. XX).

§. III. Argumenta interna pro Iohanne auctore Apocalypsis, et contrariorum solutio.

I. Ut omittamus argumentum desumptum ex ipso nomine Iohannis saepe ab Auctore repetito (Ap. I, 4, 4, 19 etc.), quod ita absolute positum non nisi Iohannem Apostolum designare poterat; item quod auctor sibi tribuat ea quae Iohanni Apostolo unice conveniunt uti ex. gr. quod fuerit *in insula quae appellatur Patmos propter verbum Dei et testimonium Iesu* (I, 9) idest illuc in odium fidei relegatus, quod de Iohanne Apostolo unanimiter referunt veteres scriptores non autem de alio Iohanne presbytero; ut, inquam, haec et similia omittamus (1).

II. Ipse stylus libri Iohannem prodiit auctorem; quamvis enim verum sit Apocalypsim ab Evangelio et epistolis Iohannis non parum differre, de quo discrimine inferius loquemur, tot tamen ac tanta beati illius auctoris veluti impressa gerit vestigia ut facile dignosci possit. Voces enim plures, imagines, phrases Iohanni Apostolo propriae in Apocalypsi passim occurrunt. Ita ex. gr. in c. I, 2 auctor de se loquens ait: *qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Iesu Christi quaecumque vidit*: conferantur haec cum Evangelio Iohannis XIX, 35 et cum prima Iohannis epistola I, 4, 2, 3. — Tales sunt etiam voces *Agnus, Verbum* pro Christo (Apoc. V, 6–13, VI, 16, VII, 14, 17, XIX, 11, 13 etc.) vox testimonium (*μαρτυρία*) absolute pro confessione fidei (I, 2, 9, VI, 9, XII, 17 etc.) *fluvius aquae vitae* (XXII, 1), *fons aquarum vitae* (VII, 17, XXI, 6, XXII, 17, etc.), *vincere* absolute positum pro eo quod est vincere semetipsum et spirituales hostes propriae salutis (II, 7, 17; III, 12, 21 al.) et alia similia.

III. In tribus prioribus capitibus auctor cum magna auctoritate

(1) Huiusmodi rationes aliquid valent sub hoc saltem respectu quod ostendunt auctorem Apocalypsis aut esse Iohannem Apostolum, aut impostorem. Porro enim impostorem esse nemo dicere ausus fuit praeter haereticos illos qui Apocalypsim Cerintho tribuebant eo quod eorum erroribus contradiceret.

et severitate loquitur septem Ecclesiis, idemque facit in capite ultimo. Nemo autem praeter Iohannem illarum Ecclesiarum fundatorem et Christi Apostolum ita se gerere potuisset; quod si alius eum loquendi modum assumpsisset, Apocalypsis ab eisdem Ecclesiis non facile fuisset suscepta. Nos autem ostendimus duobus primis Ecclesiae saeculis eam in Oriente ita receptam fuisse ut nullum de ea dubium extaret.

Nunc pauca de obiectionibus internis.

*Obiic. 1<sup>o</sup> libri obscuritatem.*

*Resp.* — Obscuram esse Apocalypsim nemo negabit: non tamen inde sequitur eam inutilem esse, aut apostolico scriptore indignam. Qui enim hoc assereret, pari iure vaticinia Ezechielis, et Danielis obscurissima repudiare posset. Obscuritas autem illa imprimis tanta non est, ut non multa etiam clarissima eaque maximae utilitatis passim occurrant; uti est ex. gr. illud: *« Vincenti dabo manna absconditum »* et *« faciam illum columnam in regno Dei mei »* et *« dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius »* (II, 17, III, 12. 21) et illud: *« Ego quos amo arguo et castigo. Aemulare ergo, et poenitentiam age »* (III, 19): item illud: *« Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te vomere ex ore meo »* (III, 16); denique, ut alia multa omittamus, ea quae in capp. XXI et XXII leguntur de coelesti Hierusalem, et de aeterna beatorum felicitate clarissima sunt, et ad animos spo erigendos aptissima.

Insuper ea ipsa quae obscuriora videntur utilitate non carent: nam licet in specie quid singulis symbolis adumbretur definiri nequeat, ea tamen lectoris animum altissimo divinae potentiae ac maiestatis sensu afficiunt ac sacro quodam terrore percellunt.

Denique horum symbolorum obscuritas ex eo nascitur, quod de futuris rebus vaticinia complectantur; est autem vaticiniorum proprium ut obscura sint donec eventu ipso declarentur, quemadmodum etiam in citatis Ezechielis et Danielis prophetiis videre est. Unde etiam fit ut obscuritas Apocalypseos paulatim minuatur, prout nempe Ecclesiae vicissitudines ac veluti phases evolvuntur, quae sacri illius dramatis obiectum atque argumentum constituunt. Sane plura occurrunt in Apocalypsi praesertim in capp. VI, XVII, XVIII, quae primis Ecclesiae Patribus impervia videbantur, nunc autem post Ecclesiae persecutiones et triumphas, post Imperii Ro-

mani lapsum, post exortas et devictas haereses clariora nobis sunt, idemque fiet de iis quae in posteriori libri parte occurrunt, quae ad extremam mundi epocham pertinere creduntur (1).

*Obit. 2° stylum esse diversum.*

*Resp.* Unum eundemque auctorem diversum adhibere posse stylum alias observatum est. Id scilicet fit cum diversa est materia de qua scribitur, et diversa scribentis conditio. — Nulla autem maior argumenti diversitas excogitari potest quam ea quae inter historiam aut familiares epistolas, et prophetiam intercedit. Stylus propheticus ex ipsa rei natura obscurior est, insolitus, vehemens; propheta enim saepius veluti obliviscitur, ac suam individualitatem magna ex parte exiit, proindeque a consueta loquendi ratione recedit. Quis igitur mirabitur Iohannem Evangelistam, et Electae ac Gaii amicam stylum immutasse cum prophetae personam assumeret in Apocalypsi? Huc accedit Iohannem, ut aptas inveniret loquendi formas ad novas imagines sibi oblatas significandas, veteres prophetas imitatum fuisse, eorumque familiares voces atque figuras ab iis mutuatam fuisse: ut apparet conferendo Apocalypsim praesertim cum Ezechiele et Daniele (Vide Ezech. I, coll. Ap. IV, Ezech. XXXVIII, 2 seq. coll. Apoc. XX, 7 seq., Dan. VII, 10. coll. Apoc. V, 11, Dan. XII, 5-7, coll. Apoc. X, 5, 6, et alibi).

Quod pertinet ad solocismos et barbarismos eadem valet responsio; scilicet Iohannem impetu spiritus abreptum, et in grandium imaginum contemplatione defixum de stylo expoliendo minus cogitasse. Vel fortasse, ut alii animadvertunt, huiusmodi grammaticales defectus in aliis quoque Iohannis scriptis initio occurrerant, sed a codicum scriptoribus sensim sine sensu sublatis sunt; in Apocalypsi autem manserunt eo quod panciores eius codices fuerint descripti ob libri obscuritatem quae eius usum minus frequentem postulabat. Huiusmodi rationes satis superque sunt ad difficultatem

(1) Apocalypsim explanare ad nos non pertinet; nec prudens esset regionem explorare in qua tot ante nos praeclari doctores aberrarunt ac in devia abeuntes doctorum et indoctorum irrisioni paterunt. Qui varias interpretationum expositiones scire cupit eas breviter enarratas inveniet apud Calmet Praef. in Apoc. — Celebris est Apocalypsis expositio *Pastorini*; item opus Cl. Bossuet, qui splendide et eloquenter ut solet Apocalypsis vaticinia iuxta varias Ecclesiasticae historiae epochas exponit. Magni pretii etiam est opus Cl. Fr. de Bovey Archiepiscopi Tolosani cui titulus: *L'esprit de l'Apocalypse*. Paris 1846.

tollendam, quin recurrendum sit ad illam responsionem a recentiore quodam auctore allatam, scilicet Iohannem ideo incultiori stylo scripsisse Apocalypsim, quia in insula Patmos relegatus ea subsidia in promptu non habebat, quae necessaria illi erant ad stylum expoliendum.

At vero Apocalypsis auctor de se ipso in prima persona loquitur, seque Iohannem frequenter vocat, quod a Iohannis Apostoli consuetudine abhorret. — *Resp.*: etiam in hoc Iohannes prophetarum morem sequutus est, qui solent se ipsos nominare, ut ex. gr. Ieremias et Daniel passim: in Evangelio autem et in epistolis propriae consuetudini indulsit.

*Obit. 3° errores in Apocalypsi obvios.*

*Resp.* 1° quod attinet ad Thyatiram (I, 11, II, 18) quam dicunt Iohannis aetate non exstitisse, respondemus hoc commentum esse Alogorum apud Epiphanium haer. LI (al. XXXI) n. 33. His quidem respondet S. Doctor concedendo Ecclesiam in ea urbe nondum formatam fuisse aetate qua scribebat Iohannes, qui proinde prophético spiritu eam futuram designaverit. — Verum id probabile non videtur. — Dicimus itaque aetate Iohannis revera exstitisse Ecclesiam Thyatirae in finibus Mysiae et Lydiae, acceptis in historico sensu Iohannis verbis, quae falsa esse adversarii nullo argumento probare possunt (1). De quodam Carpo huius Ecclesiae episcopo nonnulla antiqua martyrologia testantur. Post aetatem vero Apostolicam fatetur illam Ecclesiam a fide defecisse et erroribus Montanistarum et Cataphrygum ita detentam fuisse ut sub finem saeculi II et initio III (sen Alogorum aetate) nulla revera eius nominis catholica Ecclesia agnosceretur. — 2° Paucis addimus de c. XX ubi adversarii contendunt errorem Chiliarum doceri. Verum eos mentem S. Iohannis assequutos non fuisse ex toto libri contextu, et ex ipsius XX capituli inspectione clarissime ostenditur. Vel enim sermo est de turpi et abiecta sentiendi ratione Cerinthianorum qui iustos in hoc mundo terrenarum omnium et carnalium deliciarum copia fructuros credebant; vel de mitiori et puriori eiusdem opinionis forma qualis Iustino, Papias et aliis paucis antiquis doctoribus placuit.

(1) Grotius coniecit aetate Apostolica Thyatirae fideles omnes Iudaico-Christianos fuisse nondum autem gentiles regionis incolae ad fidem fuisse conversos, quare illa Ecclesia tempore Apostolico nondum satis innouerat, sed tamen vere existeret (Grot. Adnotat. in Apoc. II. 18).

Iamvero prima illa Chiliastri forma ne specie quidem tenus in cit. c. XX occurrit, uti superius monuimus; nullum enim ibi verbum de nuptiis, conviviis aliisque huius generis voluptatibus, sed dumtaxat de regno iustorum cum Christo fit sermo: « Sed erunt sacerdotes Christi et Dei et regnabunt cum illo mille annis » (v. 6). — Sed et altera opinionis forma in eo loco non docetur, imo certe excluditur. Siquidem iuxta Chiliastas regnum millenarium post corporam resurrectionem locum habiturum esset; contra vero mille anni de quibus hic loquitur Apocalypsis ante iudicium extremum et ante resurrectionem decurrent. Sane generale iudicium et resurrectio universalis clare describuntur in versiculis 11–13, postquam « consummati fuerint mille anni » (v. 7): et post iudicium statim sequitur gloria beatorum non in terris, sed in coelesti Ierusalem (c. XXI seq.) Quid igitur sunt hi mille anni, et de quo regno hic est sermo? Inter varias interpretum explicationes unam indicabimus, quam Augustinus affert in l. XX de Civ. Dei c. 7, 8 quamque vulgo interpretes sequuntur. Iuxta hanc explicationem mille anni designant totum temporis spatium a Christi morte, vel ut alii volunt a pace Ecclesiae concessa usque ad Antichristi tempora: accepto scilicet numero millenario pro indefinito ut saepe fit in sacris Scripturis: « Mille annos, inquit Augustinus, pro annis omnibus huius saeculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. » Toto hoc temporis spatio diabolus est ligatus: « Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanus, et ligavit eum per annos mille » (v. 1–3) siquidem virtute Christi passionis et mortis « princeps huius mundi eiectus est foras » ne scilicet Ecclesiam impugnet ultra certos limites a Deo praestitutos. Interim (mille istis annis) Ecclesia propagatur, et de hostibus triumphat, ac iusti qui fuerunt « decollati propter testimonium Iesu, et propter Verbum Dei » (v. 4) regnant cum Christo (ibid.) tum scilicet in coelis ubi beati Deum vident, tum in terris ubi ab universa Christi Ecclesia in honore habentur. Verum circa mundi exitum « solvetur Satanus de carcere suo » (v. 7) idest permittetur toto impetu Ecclesiam Dei adoriri idque « modico tempore » (sup. v. 3); ac talem ac tantam contra illam persequutionem excitabit, qualem nunquam antea Ecclesia experta fuerit. At paulo post et ipse a Christi virtute vincetur et mittetur « in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudo-propheta (alii Ecclesiae hostes

de quibus antea fuit sermo) cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum » (v. 9, 10) et tum demum fiet resurrectio omnium mortuorum (resurrectio secunda) et supremum de iis iudicium (12, 13). — Post haec erunt coeli novi, et terra nova, et in coelesti Ierusalem iusti beati erunt (c. XXI, XXII).

## CAPUT II.

### DE LIBRORUM N. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE

Parum prodesset scire libros N. T. genuinos esse et a sanctis Christi discipulis conscriptos, nisi certo demonstrari posset eosdem libros incorruptos et integros ad nos pervenisse. Si enim corrupti fuerint, quamvis alioquin a fide dignis auctoribus compositi, hic et nunc auctoritate carerent. Oportet itaque nunc N. T. integritatem ostendere. Huiusmodi demonstratio veluti complementum praecedentis habenda est, siquidem integritatis notio, ut ex dicendis patebit, cum notione genuinitatis aretissime coniungitur, et est eiusdem veluti extensio vel applicatio ad singulas libri partes. Antequam vero ad demonstrationem accedamus, accuratius definienda est notio integritatis, eiusque limites ac gradus designandi, denique status quaestionis et tractationis ordo aperiendus est.

I. Itaque libri alicuius integritas definiri potest: immunitas a corruptione. Corruptio autem in libris triplici modo occurrere potest, vel enim aliquid additur textui auctoris, vel aliquid demitur, vel aliquid immutatur. Prima corruptionis species proprie interpolatio dicitur; interpolare enim apud Latinos erat diversa et aliena alicui rei immiscere, quo sensu interpolatae vel interpoles dicebantur vestes quibus alterius panni segmenta assuta essent. Altera corruptionis species mutilatio dicitur, quia mutilare proprie est aliquod corporis membrum amputare. Ubi tamen notandum est secundam hanc corruptionis speciem aliquando fidem libris non adimere, quando scilicet alicuius loci detractio sensum reliquarum partium non perturbat. Tertia species corruptionis simpliciter corruptio dicitur, vel proprio vocabulo depravatio, quia verborum sensum a genuina et propria auctoris mente detorquet. Attamen huiusmodi appellationum discrimen non semper observatur; et